

tos atque pertinaces ad *perrumpendum nisus* perpendimus: Non possumus, quin magis pro *activis, destinatis, & ad finem illum institutis motibus*, eosdem agnoscamus.

Sunt vero *fines* isti, ad quos *motus* tales tendunt, vel *generales*, vel *speciales*. *Generales* sunt 1. *propressio sanguinis* restagnantis, qui, propter *spissitudinem* suam solito maiorem, *impulsum* quoque maiorem requirit. 2. *Molimen* seu *intentio*, penitus *exprimendi* aliquam eius quantitatem. *Speciales*, sunt *determinationes* huiusmodi motuum, *congestionum* & *expressionum*, ad *certa praecipue loca*, ad *excretiones* huiusmodi *prae aliis apta*. Hi *posteriorres* *praecipue* motus sunt illi, qui & minus attente considerari, & tamen frequentissime obversari solent.

Sunt vero *duplices*: Alter plane *incommodus*, valde *inutilis*, & *gravioribus malis viam sternens*: *Vomitus cruentus*. Alter vero, longe magis *commodus*; & si de caetero bene succedat, inter alia mala, *hypochondriaca*, eorumque pericula *salubrior*: *haemorrhoides*, & quidem *internae*. Huic, cum in foeminis *praeludat*, & causam eius quadantenus *intercipiat*, *mensium fluxus*; quamdiu hic rete & expedite succedit, nullae istius oriuntur turbae, nisi forte *enormis siccitas alvi*, partim immediate, de quo supra, partim mediate, per *fortissimum conatum expressorium*, ad *talem concitationem* magis *violenter* & *fortuito* concurrat. Si vero *mensium successus* *restitare* occipiat, aut *per aetatem cesset*, aut *sub tempus cessationis*, fortius *prorumpens*, *adstringentibus medicationibus* cito & *violenter cohibitus* sit; *diaeta* vero *plena*, *calida* aut *vinosa & sedentaria*, cum *iracundis*, aut *moebris animi pathematibus*, continuetur, imo forte tunc demum suscipiatur: Tunc demum increbescunt & ingravescunt haec *splenetico-haemorrhoidalia*, aut *splenico-emetica* *cruenta*, partim *molima*, partim *symptomata*.

Quo